


**Programma Quo Rector Academiae Rostochiensis M. Gothofredus Weiß/ Gr.
L.P.P. ... Funus ... Iusti Christophori Schomeri, Doctoris & Professoris Theologi
Primarii ... indicit, Omnesq[ue] Cives Academicos ad exsequias ... invitat : [P.P.
Sub sigillo Rectorali, die XXI. April. Anno MDCXCIII.]**

Rostochii: Wepplingius, [1693]

<http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn75590852X>

Druck Freier  Zugang





1700
PHYSICA

KL-241(4)¹

Oldendorp: Warhafftige entschul-
dinge. Rostock, 1533

wurde aus dem Band gelöst.

Steht bei Rara -

KL-241. (4.) <SON>

bestrahlt 2000

18
PROGRAMMA

QVO

RECTOR

ACADEMIÆ ROSTOCHIENSIS

M. GOTHOFREDUS *Weiß*

Gr, L, P.P. & ad D. Nicolai Ecclesiastes,

FUNUS

*VIRI MAXIME REVERENDI, AMPLISSIMI &
EXCELLENTISSIMI, DOMINI*

**JUSTI CHRISTO-
PHORI SCHOMERI,**

Doctoris & Professoris Theologi Primarii,

Communis Serenissimorum Ducum Mecklenburgensium

per omnem Provinciam Consistorii Assessoris & Di-

strictus Mecklenb. Superintendentis,

celeberrimi gravissimi,

indicit,

Omnesq; Cives Academicos

ad exsequias frequentes eundas, quo par est

studio & humanitate invitat.



Rostochii Typis JOH. WEPPLINGII, Univ. Typogr.



Ignissimum observatu, S. Spiritus, ore Psaltis Regii locuti iudicium est, de morte sanctorum, ejusdemque apud ipsum Deum singulari aestimio, quod exhibet Ps. 16. v. 15. in hæc verba: *Pretiosa est mors piorum suorum in oculis Domini.*

Variantes Interpretum in diversa hic abeuntium sententias, saltim aliquas & vel tribus recensuisse suffecerit. S. Basilius, ad statum

sanctorum post mortem respicit, & quod *sancti ceu margaritæ & gemmæ pretiosæ à Deo servantur post mortem*, indicari vult: quod quidem de animabus à corpore solutis, inque sinu DEI relictis, ab omni malo tutissimis, corporibus etiam ut pretiosis depositis, terræ matris fidei custodiæ commissis verissimum, fideique analogiæ planè consonum est, hic tamen locum vix invenit, cum de morte in se spectatâ, non verò statu eam excipiente sermo sit. Alii de carâ Deo fidelium vitâ explicant, qui in Davide hostium insidiis appetito, insultibusque angustato, potenter eundem liberando, mirisque modis in periculum vitæ adductum servando, id testatum fecerit; de violentâ præcisè morte alii, quam à suis opportunè avertat, omnesque machinationes hostiles frustretur providum Numen, eò ipsò quanti pretii sibi sint fideles declarans. Verùm de vitâ defensâ intelligere hæc verba, literaliter claritati aliud insinuanti non adeo conveniens est, cum non vitam sed mortem in pretio habere expressè dicatur Deus; nec de morte violentâ ut accipiantur unice, textus poscere videtur: quin potius Prophetico spiritu actus, piorum sortem depingere Psalter voluit & docere, illorum obitum in genere, sive violenter inferatur sive

five minus, esse τιμιον seu pretiosum. Sed unde ei pretium? Respondet Augustinus in h. l. quod pretio empta sit sanguis Domini. Haut sanè inconcinne. Lucemqve sententiæ huic majorem scenerabimur, emphaticorum originalis linguæ hic occurrentium verborum aliquali elucidatione. Habet nimirum vox יקר apud Hebræos τιμιότης & σπανιότης pretiositatis & raritatis significationem, quæ apud Chaldæos & Syros ponderis significatu gaudet, uti eruditè observat Frischmuthus in Meditat. mortis §. 7. Sicuti vox altera יקרירâ radice יקר gratia, misericordia, descendens, ab Hesychio genuinam significationem illustraturo variis vocabulis aliis connumeratis exprimitur, ut sunt καθαρός, ἀκαθάρτος, ἐυσέβης, εἰρηνικός, ἄγιος, omnium quasi virtutum ornamentis instructum, puritate scilicet animi, justitiâ, pietate, aliisque, significantibus. Horum itaqve mors pretiosa dicitur ex hâc causâ, quia ipsimet πρὸς ἡγοράσθησαν 1. Cor. 6. v. 20. & quod Christus ipsis, fide meritum ejus apprehendentibus, factus sit ἀπολύτρωσις 1. Cor. 1. v. 30. Ab hoc scilicet redemptionis incomparabili pretio habet, ut pretiosa apud Deum sit eorum vita, quandoquidem in fide Filii DEI vivunt: scriptiqve ideo in memorialibus DEI libris, in archivis quasi divinæ mentis pii dicuntur Mal. 3. prout Reges & Principes in peculiaribus indiculis memoriæ causâ notare solent eos, quorum meminisse volunt, ut ad honores datâ occasione provehant, uti rectè in h. l. Malachiæ Grotius. Inde ergo & morti eorum sua dignatio, quippe qui in eâdem fide quoque moriuntur. Prout ex adverso flocci fit impiorum mors, quorum vita fide cassa Deo non placet, adeoque finis ejus etiam ex eâdem causa invisus & exosus est. Idemqve exprimit in versione suâ B. Lutherus quæ ita habet: Der Tod seiner Heiligen ist werth gehalten für dem Herren. Cujus æstimationis divinæ argumentum hoc quoque est, quod ad sanctorum vitæ exi-

tæ exitum, eorum maxime qui doctrinæ illibatæ facem prætulert, & vel illam hujus confirmandæ gratiâ promptiffimi huderunt, attentiori oculo respiciendum, imitandamque fidei constantiam in exemplum propositam, monito S. spiritûs excitetur Heb. 13. v. 7. Disciplinam à Deo accipimus non immeritò homines, haut parvi idipsum facientes, quod ille magni æstimat, & à nobis pretiosè haberi vult. In benedictione (quæ pro encomio vel honore quandoque accipitur, ut Job, 31. v. 20.) memoria justorum talium esse debet, prout impiorum putrida & cum fœtore conjuncta, adeoque detestabilis censetur, juxta efatum Salomonis, Proverb. Cap. 10. v. 7. Observarunt id inde à primâ Ecclesiæ Christianæ ætate fideles, in magno honore mortes sanctorum præprimis martyrum habentes. Testatur Euseb. lib. 4. c. 15. in Epistolâ Smyrnensis Ecclesiæ ad parœcias per universam Pontum, in quâ de Polycarpi martyrio mentio fit, quantâ sollicitudine vel sepulturam reliquiarum Christiani curarint, & quod ossa prædicti martyris à flammis reliqua, diligenter collecta, *pretiosis lapidibus pretiosiora & auro probatiora condiderint*: quamque ægrè tulerint, sanctorum corpora omnibus modis ludibrio exposita, denique combusta & in favillam ab iniquis redacta, in fluvium è vicino præterlabentem spargi, ne quicquam ex illis super terram amplius haberetur reliquum, neve ullam amplius (ita dicebant hostes) resurrectionis spem haberent, Idem Lib. 5. Cap. 1. ex Epistola Gallorum Lugdunensium & Viennensium recitat. Accedebant commemorationes vel memoriæ sanctorum, anniversario martyrii die celebratæ, addito panegyrico, oratione puta funebri, Græcorum erga illustres viros antiquo ritu, uti censet Spanhem. Introd. ad Hist. Eccl. S. II. C. 9. Prout cum exultatione & gaudio natalem (ita vocabant diem mortualem, quod eo ipso nascerentur meliori vitæ) Polycarpi martyris, ad memoriam eorum qui antea cer-

certarunt, & futurorum exercitationem, se congregatos celebrare velle Smyrnenles in dictâ Epistolâ perhibent. Fi-ebant commemoraciones ejusmodi in cœmeteriis, post publicas preces dictâ die, lectaqve eorum gesta, unde Legendarum nomen, aliàs memoriæ martyrum, qvo deinceps nomine ipsas Basilicas intellexere, super martyrum sepulchris exstructas. Quod eoquidem fine instituebant, ut memoriam mortis eorum recolerent, & ad martyrii constantiam ipsimet similiter excitarentur, non verò, qvod communiter exinde colligunt scriptores Pontificii, ut reliquias colerent, de quarum vel asservatione vel adoratione religiosâ, vel sub altaribus collocatione, miraculis, & efficaciam nihil omnino fide dignum hoc seculo reperias. Taceo oblationes pro defunctis, seu dona, martyrum vel mortuorum nomine oblata in usus pios pauperum, viduarum, ipso commemorationis die à ditioribus, amicis, consanguineis, tanquam eleemosynas quasdam & *μνημόσυνα*, & alia in Hist. Eccl. monumentis consignata, in honorem defunctorum hæctenus sine vitio, saltim ut pretiosam sibi esse mortem piorum publicè testatum darent, observata, quæ tamen succedente tempore variis abusibus interpolata & contaminata. Unde jam seculo 4. superstitio reliquiaria sensim gliscens, invocatio sanctorum gradatim introduci cœpta, ex nimia, uti haut frustra creditur, martyrum veneratione profecta, eorumque ad tumulos suos vel memorias creditâ præsentiam. Cui sine dubio ansam quoque dederunt oratoriæ defunctorum compellationes, imprimis sec. 4. à Basilio, Nazianzano, Nysseno factæ, quos Rethoricis suis Apostrophis multum ad id contulisse, imo in Ecclesiam malum illud invexisse aperte asserit Chemnitius in Exam. de Invocat. Sanct. p. m. 200. oblationes etiam & preces altaris, quibus culpa aliqua defunctorum deleri tum jam credebatur. Ast non mar-

tyribus solum in primitivâ Ecclesiâ, sed & aliis, successu temporis, qui in vitâ suâ exemplo vel meritis illustres præ reliquis eminuerunt, gratæ pietatis præstita officia sunt, conservandæ illorum memoriæ, habendæque pretiosæ mortis rationi destinata. Hinc defunctorum nomina recitabantur ex diptychis in ipso statarum ad synaxin precum ordine, more & consuetudine, quâ, iudice Epiphano Lib. 3. contra hæres. hæresi 75. circa finem, *nihil utilius & commodius, cum eo ipso præsentibus credere se testarentur, quod hi qui decesserunt non sint nulli, sed sint & vivant apud Dominum,* & quidem coram altari, eo ordine qui pro meritis in Ecclesiam & pietatis insignioris prærogativâ ipsis assignabatur. Præcipuè verò Episcoporum nomina conservabantur, frequentiq; Ecclesiæ memoriâ celebrabantur, juxta ipsius Apostoli monitum Heb. 13. v. 7. Ast quorsum hæc adducta hæctenus? non alio id fine à nobis factum, quam ut antiquorum erga defunctos, qui dum viverent, vel doctrinâ suâ, vel pietatis & in fide constantiæ exemplo præluxerunt aliis, affectum ob oculos sifteremus, & ad imitationem pro temporum nostrorum ratione proponeremus, quando nempe nobis etiam Viri tales eripiuntur. Horum æstimare & pretiosam habere mortem, commemorando eandem, quin deflendo, sicuti rerum pretiosarum jacturam dolere solemus, omnino convenit, non solum, quod eadem orthodoxam illibatamque fidem obfignent, seqve servasse τὴν καλὴν περικοπὴν ἡμῶν eo usq; confirmet, imo in fide Filii DEI moriantur quoq; uti vixerant, quo nomine in ipsiusmet Dei oculis æstimata illa est; sed etiam quia insigni Ecclesiæ bono vixerunt, donisq; suis abs divinâ gratiâ liberalissimè concessis, doctrinâ præcipuè, ad veram ac salutarem Dei agnitionem ducente, ejusque fideli custodiâ, in eminentioribus officiorum publicorum locis constituti, multis profuerunt. Et hoc ipsum nunc agimus, ejusque gratiâ publicam

licam seripcionem hanc suscepimus, in funeris Indictione
qvo nihil funestius Academiae inprimis nostrae accidere
poterat. Pretiosa utiqve nominibus illis tua nobis mors
est JUSTE CHRISTOPHORE SCHOMERE (ita sine
titulis Virum hic quidem nomino; qui omnes titulos ante-
teibat). Non excidet tui facile meritorumq; tuorum in Eccle-
siam Lutheranam & hanc Provinciam, maximè vero Al-
mam nostram eximiorum, singulariumqve planè dono-
rum memoria, nisi ingratorum, inertium & insipien-
tum animis, qui veris momentis res ponderare nesciunt.
Cum gemitu & luctu prosequimur funus tuum & omnes
nobiscum, qui agnoscunt quantam in te jacturam literatus
fecerit orbis, qui centenis aliis funeribus redimere illam
vellet, filiceret. Indignum sanè foret hic cum Vate lan-
cto ingeminare: *Justus perit, & non est qui recogitet in corde
suo.* Livor ipse qui post fata quiescere solet diffiteri nescit,
amissum hâc morte esse Virum Theologum ἀκριβέστατον
nil vulgare sapientem, incomparabilem; oraculorum cœ-
lestium interpretem singulari acumine & promptitudine
nodos aliis inextricabiles visos è vestigio ex ipsis fonti-
bus, quorum erat gnarissimus solventem; arbitrum con-
troversiarum judiciosissimum, inqve adversariorum cuni-
culis, milleqve mæandris & flexuosis fraudibus detegendis
sagacissimum; linguarum exoticarum orientalium æqvè
ac occidentalium ultra communem doctorum virorum
sortem exquisitè peritum, & quibus non studiis, quæ sin-
gula totum aliàs sibi hominem deposcunt, utpote Juridico,
Mathematicis &c. non superficialiter sed solidè imbutum.
In quo cum memoriâ judicium, cum internis animi donis
externa, interqve ea, proferendi & edendi cum verbis tum
calamo, tam nervose & eleganter quàm nemo facile alius,
ancipiti pugnâ certabant. Et quis omnes enumeret eru-
ditionis, reliquasqve raras dotes, quas largâ manu effun-
dere

dere divina clementia in hunc Virum voluit, eumque ita Ecclesiae suae emolumento destinare & admirationi hominum sistere. Recordor hic alicujus à Valerio Maximo in Scipionem Africanum dicti: *Eum Deos immortales nasci voluisse, ut esset, in quo se virtus per omnes numeros hominibus efficaciter probaret.* Non aberravero à vero, si de B. N. dixerò, DEUM benignissimum, eundem exhibuisse Ecclesiae suae, ut omnibus numeris absolutum Doctorem, quo usque nimirum humanae fragilitati pertingere datum est susteret. Luget ergo Academia, quae omnium maxime jacturam hanc sentit, hunc floris sui reparatorem, celebritatis & famae apud externos statorem felicem, praecipuum, cujus eruditionem profundam, multijugam, raram & singularem, admirationi habuerunt exteri, unde in publicis scriptis toties appellatum, Theologum *toti orthodoxae Ecclesiae pretiosissimum* &c. legas. Lugeo egomet amissum Gamalieleum olim meum, & in Christo Patrem post fata venerandum, meque non gessisse Rectoratum Academicum vellem, tanto Viri casu memorabilem futurum, sed atro carbone notandum, cujus jamjam depositurus eram insignia, laetus desideratum toties finem imminentem prospiciens, cum tristem adeo vicem me moderante experiri Academia cogitur, mihique, invito planè & difficili calamo triste adeo munus, hoc scilicet funus, praeter spem & opinionem omnem indicendi, exsequendum demandatur. Utinam verò rite eò saltem defungi, debitisque maectare elogiis Virum possem, sic enim supremi officii qualisqualis, certè innocuo affectu praestandi, praecipitans Rectoratus occasionem fecisset. Quod tamen negotii, cui me profiteor imparem, lubens relinquo Venerabili Celeberrimoque Rever. Facultatis Theologicae, casum hunc ægerrimè ferentis, Interpreti Decano, Dn. JOH. FECHTIO, digno meritis & virtutibus Schomerianis praconi, mihi Patris loco veniendo,

rando, quippe cui B. N. familiarissimè innotuit, unde re-
conditos eruditionis ejusdem thesauros, publicis documen-
tis utut luculentissimis ingenii & doctrinæ testibus, nondum
probatos, aliaque encomio digna mihi haut ita nota expli-
care felicius, & largâ, candidâ tamen & ab omni adu-
landi studio alienissimâ manu dare poterit. Mihi de na-
talibus tanto Viro dignis, laudatissimis, & reliquâ ejus vitâ,
tot laudum argumentis fertilissimâ, discessuque tandem
beatissimo, strictim quædam dixisse & veluti primas lineas
duxisse, ne religioso omnia silentio involvam, suffecerit. Na-
tus est Is Anno 1648. ipso Paschali die, circa quod tempus
denatus etiam est, vitæ suæ periodum rotundo ferè nume-
ro claudens, in Urbe liberâ Imperiali Lubecâ, fœcundissi-
mâ illâ bonarum nientium matre, ex Patre, Viro Nobis-
simo Amplissimo atque Consultissimo Dn. NICOLAO
SCHOMERO, J. U. D. & primùm quidem causarum ibi-
dem Patrono famigeratissimo, deinceps Consiliario Brun-
svicensis urbis, denique Senatore Reipublicæ prædictæ in-
clutæ primo, longo rerum dexterrimè gestarum usu pru-
dentissimo æstumatissimoque; ex Matre, virtutibus sexuna
suum decentibus ornatissimâ feminâ, *Susanna Schlaffen*.
Ita sc. decebat à Patre fulgidis muneribus, magno Reipublicæ
bono, multorumque privatorum opis ejus indigentium cōmo-
do gestis conspicuo, ortum ducere Virum, publicæ Ecclesiæ
saluti, quam ecclesiastico regimine potissimùm, quod Sere-
nissimi Episcopi nomine exercebat, aliorumque officiorum
splendidissimorum curis promovebat, natum & velut indu-
striâ factum. Avum paternum laudat Virum Prænobilem
Spectatissimumque Dn. *Jodocum Schomerum*, Templi Cathed-
ralis Osnabrugensis prædiorum Inspectorem, Judiciique
Cappelenis Secretarium fidelissimum; Aviam ejusdem li-
neæ, Feminam laudatissimum *Sophiam Karnebeck* / Dn.
Nicolai Karnebeck / Mercatoris Osnabrug. præcipui filiam.
Avus maternus ipsi obtigit Vir Amplissimus & Prudentis-
simus

B

simus

simus, Dn *Christophoru Staffius*, Olnabrugensium Senator & Secretarius, indeque ob doctrinam Evangelicam, persecutionibus haut levibus in Confessoribus suis tentatam exul factus, relictis bonis omnibus immobilibus, quæ laudabilis erat Viri, variis præmiis ad deferendam religionem puram invitati, minisque territi constantia! postmodum Secretarius & Vice Syndicus Capituli Cathedralis Hamburgensis, simulque Juris Practicus apud Hamburgenses & Holfatos celeberrimus; Avia materna Femina floridissima *Anna von Langercken* / Dn. *Johannis von Langercken* / Negotiatoris primarii ut & Senatoris Osnabrugensis filia. Deo per baptismum consecratus, in primâ infantia pio quodam voto, religiosô parentis consilio, nec sine summi Numinis dispositione & impulsu factô, studiis sacris dicatus est. Cui intentioni ingenii habilitas in puerili jam ætate haut obscuris indiciis se exferens adeo respondit, ut compotem se voti sui futurum esse spe haut vanâ jam tum Dn. Parens colligeret, qui tamen intentionem hanc suam B. N. non nisi 17. annos nato aperuit. Facile inde judicari potest, quantum educationi curam impenderit, quàm impensè spem hanc suam foverit. Præerant eâ tempestate Scholæ Lubecensii eruditiqve Viri, quibus prima ætas formanda, quantum captus pueri ferebat, committebatur, ubi rudimentis literarum & pietatis imbutus, Anno 1658. cum dilectissimis parentibus mutato domicilio Brunswigam se conferentibus, eodem migravit, fidelissimos itidem Præceptores illô loco in Scholâ *Martinianâ* nactus, quorum etiam curæ & informationi relictus est, parentibus mutato consilio Lubecam repetentibus. Seqventi tamen anno secutus hos est, & Latinæ Græcæque linguæ egregiè jam tum peritus, inque Poësi haut mediocriter exercitatus, Moderatores Lycei Lubecensis celeberrimos, *Baugertum*, eumque excipientem *Nottelmannum*, benè nota literato orbi nomina, Præceptores habuit, quos in humanioribus studiis cupidissimè lectatus est, oratoriis exercitiis haut raro vacans, nec Philo-

loso.

lophiæ tyrocinia negligens. Eo jam tum excreverant pro-
fectus egregii, ut majoribus incrementis capiendis, Aca-
demias invisere consultum duceretur, unde valedictoriâ
oratione de præcipuis Germanorum virtutibus habitâ, pu-
blico programme Rectoris ab ingenio & eruditione com-
mendatus ad Academiam kilonientem se contulit. Hic Ce-
leberrimi *Wasmuthi* hospitio & informatione usus, in lingvis
orientalibus perdiscendis operam strenuam posuit, aliorum
etiam Philosophiæ Professorum Excellentissimorum, præci-
puè Dn. D. *Samuelis Reiheri*, Matheseos, & Dn. D. *Christophori
Frankii*, tunc Logicæ & Methaphysicæ Professoris lectionibus
assiduam avidumque Auditorem se præbens, quorum fide-
li institutione, discentisque ardore, ingenio felici junctô ef-
fectû est, ut brevi tempore egregium eruditionis thesaurum
acquireret. Anno 1668. vertentem Wismariam concessit, ibiq;
Plurimum Reverendi quondam Dn. *Stephani Maffii* S. S.
Theol. Lic. b. m. operâ adjutus, pervolvendis Rabbiorum
scriptis vacavit, ne quid intentatum relinqueret, quod augen-
dæ præclaræ doctrinæ suppellectili facere posset. Innotesce-
bat inexplebilis discendi fitis & ad summa quæq; enitens inge-
nium Viris Magnificis, Dn. D. *Dav. Gloxine*, & Dn. *Henrico Schab-
belio*, illo Lubecensis Reipublicæ, huic Wismariensium Con-
suli primario meritissimo, qui amplissimo stipendio Schab-
beliano fruendi potestatem B. nostro fecerunt, cum rectius
illud quidem locari haut posse animadverterent. Quo facto
sub autumnum anni 1669. Giessam Hassorum petiit, allectus
famâ Theologorum Academiae illius unde quaque celebra-
tissimorum, *Haberkornii*, *Misleri*, *Siricii*, *Hannekenii*. Hic
vidisses B. N. Antecessorum horum præscripta avidè imi-
tari, vestigia assequi, eruditionem æmulari, igneâ quâ pol-
lebat ingenii vi, Theologiæ sacratiora adyta penetrare, conatibus
eius fideli operâ velificante, consiliisque de formandis & bono
ordine feliciter provehendis studiis sacris eum adjuvante Theo-
logo, eo tempore Giessensi, postea Nostro, ut & Serenissimi Du-

cis Meklenb. Gultroviensis Consiliario Ecclesiastico, Consistoriale, Concionatore Aulico & Ecclesiarum Circuli Rostoch. Superintendente i Celeberrimo, Dn. *Michaële Siricio*, p.m. Sed nec reliquorum magnæ famæ Doctorum lectiones fastidiit, frequentatis plurimis, præcipuè disputatoriis eorundem collegiis. Sub Dn. D. *Hannekeni* præsidio, anno 1671. mense Decembri, elaboratam à se Disputationem de pœnitentiâ, cum applausu publicè defensavit, aliorumque disputationibus multoties se non Auditorem solum sed & Opponentem præbuit. Interea nec studia Philosophica seponebat, Mathematicisque potissimum prælectionibus Dn. D. *Friderici Nitschii* delectabatur, his rebus acri ingenio aptissimus, indeque deditissimus. Tam præclarè jactis eruditionis fundamentis, illud addi perfectioni suæ debere existimabat, ad fastigium id cui natus erat eò feliciter attingendum, ut peregrinas videret terras, Italiam cum primis, inibique Ecclesiæ Romanæ ritûs ac politiam, Orientalium quoque Christianorum celebrata sacra cognosceret, Virisque per eum orbis tractum tempore illo doctrinæ famâ inclutis innotesceret, antiquitatis etiam monumenta frequentia oculis usurparet suis. Iter ergo assumpto comite, ingruente hyeme init, Venetias, Lauretum, Romam, Neapolim, aliaque celebria Italiae loca videt, nec videt solum, sed omnia quoque futuris usibus inservitura curiosè observat, colloquia cum viris eruditis miscet, Ecclesiæ illorum locorum faciem observat, Disputationibus variis Theologorum interest, Bibliothecas, Vaticanam in primis toto orbe celebratam data operâ perlustrat, indeque fructum haut levem in studia Theologica redundare sentit. Italiâ relicta Galliam intrare placuit, hinc aditis Senis, salutata Florentiâ, visa Bononiâ, Mediolanum delatus, ibidem aliquantisper substitit, Virique ingeniosissimi, *Manfredi Septalii* notitiam & familiaritatem assecutus est. Alpibus superatis, Lugdunum Gallia, & Lutetiam pervenit, splendorem aulae & urbis per pexit, Sorbonam invisit, & tandem viâ illa quæ Argentoratum, Spira m, Heidelbergam ducit, A. 1673, mediâ æstate in Germaniam & Academiam Gieslensem reversus est. Et hic denuo non Theologiæ solum, sed & Jurisprudentiæ strenuam operam navavit, civilia & feudalina syntagmata sedulo pervolvens. Hinc an 1674. honorifico testimonio à Rev. Facultate Theologicâ exornatus, oblata simul ei licentiâ adsummen

mendi summos in Theologiâ honores, visitatis insuper Acade-
miis Saxonis, Helmstadiensi, Wittebergensi, Lipsiensi, Jenensi,
in patriam rediit. Rediit, non ut Erro aliquis, qui cum exter-
nos quosdam gestus, vestitus & hiulca quaedam verba, virtutis
autem & eruditionis ne micam secum affert; sed ut Plato quidam
qui postquam Asiam & Italiam peragraverat, à Judæis mundi
originem, à sacerdotibus Ægyptiorum siderum scientiam, ab
Archytâ Tarentino artium Mechanicarum, à Timæo Pythago-
raorum præcepta secum tulit; sed ut Scytharum Rex ille Anachar-
sis, à Græciâ & à doctissimis cum Solone & Hannone colloquis.
ut Octavius Augustus à celeberrimis Epiri Philosophis. Sic. B. N.
omnigenâ eruditione instructus, observatisque omnibus, quæ
observari merebantur, præprimis illis, quæ ad scopum facere pos-
se credebantur, uti ante jam diximus, rediit. Per integrum annum
patria ipsum tenuerat, homileticis exercitiis subinde occupatum,
sed nondum deseruerat ardor, discreta marium terrarumque in-
tervallis loca videndi. Supererat Batavia invisenda, & Britannia,
alter ille quem in Oceano natura fecit orbis: hic novaturientium
ingeniorum fluctuationes observans, sectas & schismata cogno-
vit, in quæ sine fine scinduntur in locis illis, cumque sectarum ista-
rum præcipuis Doctoribus sermones contulit. Oxonium delatus,
Academiarum Reginam, inprimis sapientiæ omnis ærarium Bi-
bliothecam Bodlejanam admiratus est, in eaq; ad historiam Eccle-
siasticam diligentius evolvendam aditus ipsi patefactus, simulq; ad
familiaritatem magnorum, Episcopali etiam dignitate fulgentium
Virorum, inprimis Professoris Saviliani incluti *Eduardi Bernardi*,
quem præcipue honoris causa nominare solitus est. Adiit & Aca-
demiâ Cantabrigiensem Anno 1676. ubi Bibliothecas publicas pri-
vatas, simili studio perreptavit, Virorum eruditissimorum amo-
rem sibi conciliavit, & D. Abandanæ Judæi privatam operam ad
Hispanicum post alias lingvas occidentales idioma quoq; addiscen-
dum adhibuit. Londinum deniq; venit, ejusq; vastissimam magnitu-
dinem & quicquid ibi pulchrum & præclarum, curioso nota-
vit oculo, hinc Belgium Hispanicum ingressus, illoque viso secun-
dâ vice patriæ redditus est. Anno sequenti 1677. Rostochium nostram
petiit, ususque per mensium aliquot spatium contubernio immor-
talis memoriæ & famæ Theologi *B. Augusti Varenii*, desideria
tandem sua Vener. Facultati Theologicæ mense Majo exposuit,
B3 & ut


& ut ad Examen & Disputationem inauguralem solemnem admitteretur decenter petiit, quod etiam facile impetravit. Qualem se tum gesserit, id verbis præmemorati summi Theologi, saltem aliquot non omnibus, in ejus laudem in Programmate Disputationi Inaugurali præmisso contentis, exprimere placet: *Illustres*, ita inquit, *in Theologia processus, oppletumque omni doctrinae sublimioris genere pectus probavit* &c. Probata sic tentamine rigorofo eruditionis solidæ copiâ, Disputationem de *objecto adorationis religiose*, moderante Theologo prælaudato, maximo cum applausu more suo habuit. Quibus peractis, Lubecam iterum profectus est, inibique per biennium commoratus, non vacuæ litavit, sed studiis pro more, i. e. indefessâ industriâ incubuit. Natus ex hoc otio est tractatus de Spiritu Sancto, *Chisoph. Sandio*, Arianae hæreseos novo promacho, quocum in Belgio olim coram egerat, oppositus, de scribentis acumine & peritiâ Theologicâ insigni, locuples testis. Non ergo latere amplius Viri virtus poterat, cujus splendor ulteriorem privatæ vitæ obscuritatem non ferebat, quin potius Serenissimum gloriosiss. memoriæ Principem ac Dominum, Dominum CHRISTIANUM LUDOVICUM, Ducem Meklenburgensem &c. &c. commovebat, ut abs Rever. Facultate Theologicâ hujus Academiæ commendatum, ad Professionem Theologicam, Assessoratum simul Consistorii Ducalis & Superintendentis spartam in districtu Meklenburgensi gratiosissimè Anno 1680. vocaret. Mox ad officium Professorium 30. Septembr. die solenniter introductus, & in oppido *Gadebusch* præviâ inauguratione, Superintendentis, dehinc sequenti 26. Octobr. Doctoris axiome heic loci ornatus est. Ab eo tempore qualem se gesserit, quâ fide, prudentiâ, dexteritate, sedulitate, vigilantia & sollicitudine, omnes munerum sibi collatorum fulgidissimorum partes oblerit, publica fama loquitur, tot egregia scripta, Vener. Dn. Decano commemoranda loquuntur, totiusq; Provinciæ & Academiæ testimonio luculentissimo, nemine facile refragante satis superq; constat. Anno 1685. Primæ Professionis, clementissimè sibi oblata locum conscendit. Conjugium ei fuit felix & exoptatum, cum feminâ sui sexûs virtutibus ornatissimâ, *Anna Catharina Wetten/ Dn. Bernhardi Wetten/ Mercatoris Lubecensis primarij, ex conjugè, natalium splendore fulgidâ, Anna Elisabetha Dornesfelds/ susceptâ filiâ*, quam anno 1683. d. 27. Aug. domum


num duxit. Fœcundum 4. liberis conjugium hoc Deo benedicente fuit, filium primogenitum *Nicolaum Bernbardum* magno cum gaudio sed brevi admodum viderunt parentes, natus enim anno 1684. die 25. Maji, anno verò sequenti d. 20. Septembr. jam denatus est. Secuta secundò genita, *Anna Margareta*, quæ adhuc dum Dei gratiâ in vivis superest, mortemque dilectissimi Dn. Parentis, matre dudum orba, octo circiter annorum puella, acerbè satis pro ætatis ratione sentit. Hanc excepit tertia *Anna Elisabetha*, cujus obitum à nativitate, semestre intervallum distinxit. Ultima fuit *Catharina Lucretia*, quæ itidem ad meliores in primâ infantia abiit, matrem præeuntem mox secuta. Hæc siquidem ann. 1688. die 23. Novembris, post partum editum, beatâ morte insperatò extincta, luctum gravissimum Marito, quocum pacatissimè vixerat peperit, qui viduum ex eo tempore torum ad usque vitæ exitum passus est. Et hic describendus nunc restat. O si superledere tristi hoc labore daretur, ut quem omnes servatum vellemus, in ætatis & meritorum flore extinctum plangere non esset opus! In morbum, infaustum mortis prodromum incidit die 30. Martii, ex itinere officii ratione suscepto redux, cujus accessum cum horrore febrili sensit, quem æstus non adeo intensus excepit, cessante tamen mox cibi appetitu placidoque somno. Medicorum itaque post Deum, implorandum esse auxilium è re suâ duxit, & initio Virum Nobiliss. Expertissimumque Dn. D. *Georgium Ruffen* / Practicum laudatissimum, accersi curavit, qui consilio & medicamentorum morbo respondentium præscripto, solertiq; symptomatum observatione haut defuit. Sentiebat hic continuè augmentis majores subito vires morbum acquirere, quem non adeo infestum initio expertus erat: ut ergo augefcenti malo eò curatius occurreretur, alium adhuc Medicum adhiberi secum voluit, vocatusq; Vir Nobiliss. atq; Excellentissimus Dn. *Job. Ernestus Schaperus*, Med. D. & PP. lubens comparuit, ubi omni molimine id actum, ut vis morbi indies imò in horas omnes major refringeretur. Ast omnia pro dolor! in cassum. Ipse ergo beatissimè Defunctus, superiorem vi m, summi vitæ necisq; Arbitri, se ex terrenis hisce ad cœlestia, ex inquietudine ad tranquillitatem vocaturam agnovit. Quem ergo per omnem vitam suam infucatâ pietate coluerat (nec enim minorem fuisse Christianum quam Theologum testari possunt, quorqvot eum familiariter noverunt) Eidem etiam toto pectore, constanti fide, promptoque ipsam etiam mortem subeundi ad

jus-


justum ejus obsequio adherere, ac ad nutum adesse, tot insignioris fiducia, amorisque erga hunc Salvatorem suum ferventissimi indicia demonstrabat. Palmarum, uti vocamus, Dominica erat, cum Confessionarium suum, Virum perquam Reverendum Dn. *Simonem Henningium*, SS. Theologiae D. & Cathedralis templi Pastorem praclare meritum, Collegam & Amicum nostrum honoratissimum, advocari juberet, (sacro *è Phodis* eodem ministrante ad abitum praeparandus: recordatus ergo, id temporis esse, quo Hierosolymas crucifigendus ascenderat Servator hominum, in Iesu crucifixo spem omnem reposuit, inque ejus amplexibus tenacissimis, immota fide, ad extremum spiritum haesit. Qui animam hora 6. vespertina d. 9. Aprilis, corpore solutam, seu pretiosum cinerium promptis manibus excepit. In his nunc quiescit & alta pace fruitur, relicto nobis intensissimo sui desiderio. Solveremur hic toti in lachrymas, inclamaremus cum Elisæo: *Ab! Pater, Pater, currus Israelis & auriga ejus*, si quid proficere possemus. Satius autem fuerit agnoscere iustissimam Numinis iram, tantorum Vitorum praematuram evocatione, quorum donis praclaris à se benignissime concessis frui ob ingratitudinem nostram haut meremur, sine dubio demonstratam, devotissimisq; precibus poenitenti corde fuis gratiam ejus sollicitare, ut alium geminae virtutis & praestantiae Virum, in locum hujus sufficere, & eos, quibus per clementiam ejus adhuc gaudemus, divinatorum oraculorum interpretes exoptatissimos, Academia nostrae lumina & columnina, quam diutissime sospites atque incolumes servare velit, ut fidei orthodoxae puritatem, pari quo haecenus studio tueri, nobileque depositum illud custodire queant. Erigat etiam solatio S. Spiritus, acerbissime hanc mortem lugentium animos, qui patientiae & solatii Deus est, Fratris praecipue, Viri Nobilissimi atq; Conlultissimi, Dn. *Achillis Friderici Schomeri*, Serenissimi Principis ac Domini, Dn. *FRIDERICI WILHELMI*, Ducis Mecklenb. &c. &c. Consilarii fulgidissimi, & Sororum Virginum lectissimarum, ipsiusq; etiam filioe superstitis relictae, altius quam pro ætate teneram casum hunc reputantis. Quod restat, supremo pietatis officio prosequendum funus est, hinc ad Vos omnes Academiae Cives, titulis Ordinibusque vestris honoratissimi convertor, & ut merito Viri saepe memorati, Theol. Prim. Vener. FGtat. suæ Senioris, Confessorii Assess. & Superint. multis nominibus incluti pensitantes confluere, frequentissimoq; comitatu exequias hodie hora I. Pomeridianam ire lubentes velitis, quæ decet humanitate rogo. P. P. Sub sigillo Rectorali, die XXI. April. Anno MDCXCIII.

Conveniemus in Aede Cathedrali Jacobaâ,









Quidem diversæ passim Philosophiæ
 circumferuntur descriptiones, quas
 singulas, & recensere, longum; & ad
 rationis, in præsentiarum, libellam re-
 vocare, tædiosum foret. Antiquissi-
 mam ego primâ facio: tanquã à Philo-
 sophorū, quos habemus, Primate la-
 tã, omniumque, rectè philosophanti-
 um, calculo, hactenus approbatã Pla-
 tonis ea est, digna profectò Authore,
 abus tantum voculis, **MEDITATIONE**, puta,
 utatur. Censebat Divinus ille Vir, tantò nos eva-
 des, quantò vivaciùs consideremus mortem. Ne-
 ipso falsus est, cùm, quodcunque in Philoso-
 , circa mortis meditationem reperiamus. Mor-
 , quæ rectam vivendi rationem monstrat, atque
 it, quales esse in morte desideramus. Ea, animum
 quæ à verò nos abducere, aut aliquam, nomini
 m notam inurere possunt. Ea est, quæ do-
 , timorem pellit, tranquillitatem inducit;
 s casuum animum varietates firmat, adversus
 reddit, quando omnia ab eodem impedi-
 tantò paratior sit, sicubi res exiget, statim
 quando est faciendum, statim exire, quo ali-
 ndum, tabernaculo suo. Quæ enim ista mor-
 st, aut socordia, cùm cognati simus DEO, cùm
 terris animal, præter hominem, cognitione.

DE